

Commentaria in Pater Noster et Ave Maria Sancti Thomae Aquinensis, Doctoris Angelici

PROLOGUS

I

1. --- Inter alias orationes oratio dominica principalior inventur.

A) Habet enim *quinque* excellentia, quae in oratione requiruntur. Debet enim esse oratio *secura, recta, ordinata, devota* et *humilis*.

2.---a) *Secura* quidem, ut cum fiducia adeamus ad thronum gratiae eius, ut dicitur Hebr. iv. In fide etiam non deficiens: dicitur enim Iac. 1, 6: "*Postulet autem in fide, nihil haesitans*". Rationabiliter autem haec oratio est securissima: est enim ab advocato nostro formata, qui est sapientissimus petitor, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, ut dicitur ad Coloss. ii, de quo dicitur Ian. i, 2, 1: "*Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum*"; unde dicit Cyprianus in lib. *de Oratione Dominica*: "*Cum Christum habeamus advocatum apud Patrem pro peccatis nostris, quando pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba proponamus*". Ulterius securior apparet ex hoc quod ipse qui orationem exaudit cum Patre, docuit nos orare, secundum illud Psal. xc, 15: "*Clamabit ad me, et ego exaudiam eum*". Unde dicit Cyprianus: "*Amica, familiaris et devota oratio, Dominum de suo rogare*". Unde ab hac oratione nunquam sine fructu receditur: nam per eam venialia dimittuntur, ut dicit Augustinus.

3.---b) Debet etiam esse oratio nostra *recta*, ut petat

orans a Deo quae sibi conveniunt. Nam Damascenus dicit: *"Oratio est petitio decentium a Deo"*. Multoties enim non exauditur oratio, quia indecentia postulantur. Iac. iv., 3: *"Petitis et non accipitis, eo quod male petatis"*. Scire autem quid sit petendum, difficillimum est, cum difficillimum sit scire quid sit desiderandum. Ea enim quae licite petuntur in oratione, licite desiderantur: et ideo Apostolus dicit, ad Rom. vii, 26: *"Nam quid oremus sicut oportet, nescimus"*. Ipse autem Christus doctor est: nam ipsius est docere quid nos orare oporteat. Nam discipuli dixerunt ei, Luc. xi, i: *"Domine, doce nos orare"*. Ea ergo quae ipse orare docuit, rectissime postulantur: unde Augustinus: *"Quaecumque autem verba dicamus, nihil aliud dicimus quam quod in ista oratione dominica positum est, si recte et congruenter oramus"*.

4. --- c) Debet etiam esse oratio *ordinata* sicut desiderium, cum oratio sit desiderii interpretis. Est autem hic debitus ordo, ut spiritualia carnalibus, caelestia terrenis desiderando et orando praeferamus, secundum illud Matth. vi, 33: *"Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius; et haec omnia adiicientur vobis"*. Hoc Dominus in hac oratione servare docuit: in qua primo petuntur caelestia, et postmodum terrena.

5. — d) Debet etiam oratio esse *devota*, quia pinguedo devotionis facit sacrificium orationis esse Deo acceptum, secundum illud Psal. LXII, 5-6: *"In nomine tuo levabo manus meas: sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea"*. Devotio autem plerumque propter prolixitatem orationis obtunditur: unde Dominus superfluum orationis prolixitatem docuit vitare, dicens Matth. vi, 7: *"Orantes autem nolite multum loqui"*. Et Augustinus dicit ad *Proban*: *"Absit ab oratione multa locutio; sed non desit multa provocatio, si fervens perseveret intentio"*. Unde Dominus hanc orationem brevem instituit.

6. --- Consurgit autem devotio ex caritate, quae est amor Dei et proximi: quorum utrumque in hac oratione ostenditur. Nam ad insinuandum divinum amorem, vocamus eum Patrem; ad insinuandum autem amorem proximi, communiter pro omnibus oramus dicentes, "*Pater noster, et dimitte nobis debita nostra*": ad quod proximorum dilectio nos induit.

7. - e) Debet etiam oratio esse *humilis*, secundum illud Psal. ci, 18: "*Respexit in orationem humilium*"; et Luc. xviii, de pharisaeo et publicano; et Iudith ix, 16: "*Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio*". Quae quidem humilitas in hac oratione servatur: nam vera humilitas est quando aliquis nihil ex suis viribus praesumit, sed totum ex divina virtute impetrandum expectat.

II

8. ---B) Nota insuper, quod *tria* bona facit oratio.

a) *Primo* enim est efficax et utile remedium contra mala. Liberat enim a peccatis commissis. Psal. xxxi, 5-6: "*Tu remisisti impietatem peccati mei: pro hac orabit ad te omnis sanctus*". Sic latro in cruce oravit, et remissionem obtinuit: quia, "*hodie mecum eris in paradiso*", Luc. xxiii, 43. Sic publicanus oravit, et iustificatus descendit in domum suam, Luc. xvm, 14.

Liberat etiam a timore peccatorum supervenientium, a tribulationibus et tristitiis. Iac., ult., 13: "*Tristatur quis in vobis? Oret (aequo animo)*".

Liberat etiam a persecutionibus et inimicis. Psal. cvni, 4: "*Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam*".

9. --- *b) Secundo* est efficax, et utilis ad omnia desideria obtinenda. Marc. xi, 24: "*Omnia quaecumque orantes petitis credite quia accipietis*". Et si non exaudimur, hoc est quia non instanter petimus: "*Oportet (enim) semper orare, et non deficere*", Luc. xviii, 1; vel quia non petimus id quod magis expedit ad salutem: Augustinus: "*Bonus Dominus, qui saepe non tribuit quod volumus, ut tribuat quod est melius*". Et hoc reperitur de Paulo, qui ter petiit a se removeri stimulum, et non est exauditus: II Cor. xii, 8.

10. --- *c) Tertio* est utilis, quia facit nos familiares Deo. Psal. CXL, 2: "*Dirigatur oratio rnea sicut, incensum in conspectu tuo*".

PATER NOSTER

11. — Nota hic *duo*, quomodo scilicet pater sit, et quid debemus ei, quia pater est.

Dicitur autem pater ratione specialis creationis, quia creavit nos ad imaginem et similitudinem suam quam aliis creaturis inferioribus non impressit. Deut. xxxii, 6: "*Ipse est pater tuus, qui fecit et creavit te*".

Item ratione gubernationis: quanquam enim omnia gubernet, nos tamen gubernat ut dominos, alia ut servos. Sap. xrv, 3: "*Tua, pater, providentia (cuncta) gubernat*"; et ibid. xii, 18: "*Et cum magna reverentia disponis nos*".

Item ratione adoptionis: quia aliis creaturis dedit quasi munuscula, nobis autem hereditatem, et hoc quia filii; sed si filii et heredes. Apostolus, Rom. viii, 15: "*Non accepistis Spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater*".

12.--- Debemus autem nos ei *quatuor*.

Primo honorem. Mal. i, 6: "Si ego pater, ubi est honor meus?": qui consistit in tribus. In laudis datione quoad Deum. Psal. XLIX, 23: "Sacrificium laudis honorificabit me": quae non solum debet esse in ore, sed etiam in corde. Isai. xxix, 13: "Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me". In corporis puritate quoad seipsum. I Cor. vi, 20: "Glorificate et portate Deum in corpore vestro". In iudicii aequitate quoad proximum. Psal. XGVIII, 4: "Honor regis iudicium diligit".

13.---Secundo debemus ei imitationem, quia pater est. Ier. iii, 19: "Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis": quae perficitur in tribus. In dilectione. Ephes. v, 1-2: "Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione": et hoc oportet esse in corde. In miseratione. Dilectio enim debet esse cum miseratione. Luc. vi, 36: "Estote ergo misericordes": et hoc debet esse in opere. In perfectione. Quia dilectio et miseratio debet esse perfecta. Matth. v, 48: "Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est".

14.---Tertio debemus ei obedientiam. Hebr. xii, 9: "Multo magis obtemperabimus Patri spirituum". Et hoc propter tria. Primo propter dominium: ipse enim est Dominus. Exod. xxiv, 7: "Omnia quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes". Secundo propter exemplum: quia verus Filius factus est Patri obediens usque ad mortem, ut dicitur Philip. ii, 8. Tertio propter commodum: II Reg. vi, 2-1: "(Ludam) ante Dominum qui elegit me".

15.---Quarto debemus ei patientiam in castigationibus. Prov. iii, 11-12: "Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias, nec deficies, cum ab eo corripieris. Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi".

16. --- Ex hoc autem ostenditur quod duo debemus

proximis. *Primo* amorem, quia fratres nostri sunt, nam omnes sunt filii Dei: I Ioan. iv, 20: "*Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*". Item reverentiam, quia filii Dei sunt. Mal. ii, 10: "*Nunquid non pater unus omnium nostrum? Nunquid non Deus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque vestrum fratrem suum?*". Rom. xii, 10: "*Honore invicem praevenientes*", Et hoc propter fructum, quia ipse factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae", Hebr. v, 9.

"QUI ES IN CAELIS"

17. - Inter cetera quae oranti sunt necessaria, fiducia plurimum valet. Iac. i, 6: "*Postulet autem in fide, nihil haesitans*". Unde Dominus nos orare docens, ea praemittit ex quibus in nobis fiducia generetur: scilicet *ex benignitate Patris*: unde "Pater noster" dicit, secundum illud Luc. xi, 13: "*Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis pater vester (caelestis) de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?*"; et *ex magnitudine potestatis*: unde dicit, "Qui es in caelis". Unde Psal. cxxn, i: "*Ad te levavi oculos meos qui habitas in caelis*".

18. --- Potest autem hoc ad *tria* pertinere.

Primo quidem ad orantis praeparationem: quia dicitur Eccli. xviii, 23: "*Ante orationem praepara animam tuam*": ut intelligatur, "In caelis", hoc est in caelesti gloria, secundum illud Matth. v,, 12: "*Merces vestra copiosa est in caelis*".

Et haec praeparatio debet esse per caelestium imitationem, quia filius debet imitari patrem. Unde dicitur I Cor xi, 49: "*Sicut portavimus imaginem teneni, portemus*

et imaginem caelestis".

Item per caelestium contemplationem: quia homines solent frequentius cogitationem dirigere ubi habent patrem et alia quae diligunt, secundum illud Matth. vi, 21: *"Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum"*. Unde dicebat Apostolus Philip. iii, 20: *"Nostra conversatio in caelis est"*. Et per caelestium intentionem, ut ab eo qui in caelis est, non nisi caelestia quaeramus, secundum illud Coloss. iii, 1: *"Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est"*.

19. --- *Secundo* potest pertinere quod dicitur, "Qui es in caelis", ad audientis facilitatem, quia propinquus est nobis; ut intelligatur, "Qui es in caelis", idest in sanctis, in quibus Deus habitat, secundum illud Ier. xiv, 9: *"Tu in nobis es Domine"*. Sancti enim caeli dicuntur, secundum illud Psal. xviii, 2: *"Caeli enarrant gloriam Dei"*.

Habitat autem Deus in sanctis per fidem: Ephes. iii, 17: *"Christum habitare per fidem in cordibus vestris"*. Per dilectionem: I Ioan. iv, 16: *"Qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo"*. Per mandatorum impletionem Ioan. xiv, 23: *"Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus"*.

20.--- *Tertio* potest pertinere quod dicitur, "Qui es in caelis", ad efficaciam exaudientis; ut per caelos, corporeos caelos intelligamus: non quod Deus corporalibus caelis includatur, secundum illud II Reg. viii, 27: *"Caelum et caeli caelorum te capere non possunt"*; sed ut significetur quod Deus est perspicax in consideratione, utpote qui de alto videt: Psal. ci, 20: *"Prospexit de excelso sancto suo"*; et quod sublimis est in potestate, secundum illud Psal. cii, 19: *"Dominus in caelo paravit sedem suam"*; et quod stabilis est in aeternitate, secundum illud Psal. ci, 13: *"Tu autem in aeternum permanes"*; item 28: *"Et anni tui*

non deficient". Unde et de Christo dicitur Psal. LXXXVIII, 30: "*Thronum eius sicut dies caeli*". Et Philosophus dicit in *de Caelo*, quod propter incorruptionem caeli, omnes posuerunt caelum esse locum spirituum.

21.---Per hoc ergo quod dicitur, "Qui es in caelis", datur nobis fiducia orandi, quantum ad *tria*: quantum ad *potestatem*, et quantum ad *familiaritatem eius* a quo petitur, et quantum ad *congruitatem* petitionis.

a) *Potestas* enim eius a quo petitur, insinuat, si per caelos intelligantur caeli corporei: et quamvis ipse locis corporalibus non comprehendatur, cum scriptum sit Ier. xxiii, 24: "*Caelum et terram ego impleo*"; tamen dicitur esse in caelis corporeis ad insinuandum *duo*: scilicet potentiae eius virtutem, et sublimitatem naturae.

22.--- *Primum* quidem est contra illos qui dicunt, omnia ex fato caelestium corporum ex necessitate accidere: secundum quam opinione inutile esset aliquid a Deo orando petere. Sed hoc stultum est, cum Deus in caelis sic esse dicatur ut caelorum Dominus et stellarum, secundum illud Psal. cii, 19: "*Dominus in caelo paravit sedem suam*".

23.--- *Secundum* vero contra illos est qui in orando aliquas sibi corporeas phantasias de Deo proponunt et fingunt: ideo dicitur esse in caelis, ut per id quod in sensibilibus rebus est altissimum, ostendatur divina sublimitas omnia excedens, etiam hominum desiderium et intellectum: unde quidquid cogitari, vel desiderari potest, est minus quam Deus. Propter quod dicitur in Iob xxxvi, 26: "*Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*"; Psal. cxii, 4: "*Excelsus super omnes gentes Dominus*"; Isai. XL, 18: "*Cui similem fecistis Deum?*".

24.--- b) *Familiaritas* autem Dei ostenditur, si per caelos sancti accipiantur. Quia enim propter eius altitudinem

aliqui dixerunt quod humana non curat, oportet considerare quia nobis est vicinus, immo intimus: quia dicitur esse in caelis, idest in sanctis, qui caeli dicuntur, secundum illud Psal. xviii, 2: "*Caeli enarrant gloriam Dei*"; Ierem. xiv, 9: "*Tu in nobis es, Domine*".

25.--- Hoc enim affert fiduciam orantibus quantum ad *duo*.

Primo quantum ad propinquitatem Dei, secundum illud Psal. CXLIV, 18: "*Prope est Dominus omnibus invocantibus eum*". Unde Matth. vi, 6: "*Tu autem cum oraveris intra in cubiculum*", scilicet cordis.

Secundo, quia per patrocinium aliorum sanctorum possumus impetrare quod petimus, secundum illud Iob v, 1: "*Ad aliquem sanctorum convertere*"; Iac. v, 16: "*Orate pro invicem, ut salvemini*".

26.--- c) *Idoneitatem* etiam et *congruitatem* accipit oratio ex hoc quod dicitur esse in caelis, secundum quod per caelos spiritualia bona et aeterna intelliguntur, in quibus est beatitudo, propter *duo*.

Primo, quia per hoc excitatur nostrum desiderium ad caelestia. Tendere enim debet illuc desiderium nostrum ubi Patrem habemus, quia illic est hereditas nostra. Coloss. iii, 1: "*Quae sursum sunt quaerite*". I Petr. I, 4: "*In hereditatem immarcescibilem, conservatam in caelis*".

Secundo, quia per hoc informamur ut sit vita caelestis, ut simus conformes Patri caelesti, secundum illud I Cor. xv, 48: "*Qualis caelestis, tales et caelestes*". Et haec duo faciunt idoneum ad patendum, scilicet desiderium caeleste, et vita caelestis: ex quibus oratio congrua fit.

Petitio 1

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM

27.--- *Haec est prima petitio, in qua petitur ut nomen eius in nobis manifestetur et declaretur.*

Est autem nomen Dei *primo* mirabile, quia in omnibus creaturis mirabilia operatur: unde Dominus in Evangelio Marc. ult., 17: *"In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint non eis nocebit"*.

28. --- *Secundo* est amabile. Act iv, 12: *"Non est aliud nomen datum sub caelo in quo oporteat nos salvos fieri"*. Salus autem est ab omnibus diligenda. *Exemplum* de Beato Ignatio, qui intantum nomen Christi dilexit, quod cum Traianus requireret ab eo ut nomen Christi negaret, respondit quod de ore eius removeri non posset; et cum ille minaretur sibi caput abscindere, et Christum de eius ore remove, dixit: *"Et si de ore abstuleris, nunquam tamen de corde eripere poteris: hoc enim nomen cordi meo inscriptum habeo, et ideo ab eius invocatione cessare non valeo"*. Quod audiens Traianus, et probari cupiens, servi Dei abscisso capite, cor eius extrahi iussit, et inventum est habens nomen Christi in se scriptum litteris aureis. Posuerat enim super cor suum hoc nomen quasi signaculum.

29.--- *Tertio* est venerabile. Apostolus, Phil. ii, 10: *"Ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum"*. *Caelestium* quantum ad Angelos et beatos; *terrestrium* quantum ad mundanos, qui hoc faciunt ex amore adipiscendae gloriae vel timore fugiendae poenae; et *infernorum* quoad damnatos, qui hoc faciunt ex timore.

30.--- *Quarto* inexplicabile, quia a narratione eius deficiunt omnes linguae. Et ideo explicatur aliquando per

creaturas. Unde dicitur *lapis* ratione firmitatis: Matth. xvi, 18: "*Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*". Item *ignis* ratione purificationis: quia sicut ignis metalla purificat, ita Deus purificat corda peccatorum: unde Deut. iv, 24: "*Deus tuus ignis consumens est*". Item lux ratione illuminationis: quia sicut lux illuminat tenebras, ita nomen Dei illuminat tenebras mentis. Psal. xvii, 29: "*Deus meus, illumina tenebras meas*".

31.--- Unde istud nomen petimus manifestari, ut cognoscatur, et teneatur sanctum.

Sanctum autem *tripliciter* dicitur.

Sanctum *enim* idem est quod firmum: unde omnes beati qui in caelo sunt, sancti dicuntur, quia sunt aeterna felicitate firmati.

32 --- *Secundo* sanctum idem est quod non terrenum: unde sancti qui in caelo sunt, nullum habent affectum terrenum: unde Apostolus, Phil. iii, 8: "*Omnia arbitratus sum ut stercora ut Christum lucrifaciam*".

Per terram autem designantur peccatores. *Primo* ratione germinis: terra enim, si non colitur, spinas et tribulos germinat; sic anima peccatoris, nisi colatur per gratiam, non germinat nisi tribulos et punctiones peccatorum. Gen. iii, 18: "*Spinas et tribulos germinabit tibi*". *Secundo* ratione caliginis. Terra enim caliginosa est et opaca: sic etiam peccator caliginosus et opacus est. Gen. i, 2: "*Tenebrae erant super faciem abyssi*".

Tertio ratione conditionis. Terra enim est elementum, quod spargitur nisi contineatur ab aquae humiditate: nam Deus posuit terram super aquam, iuxta illud Psal. cxxxv, 6: "*Qui firmavit terram super aquas*", quia ex humiditate aquae continetur ariditas vel siccitas terrae.

Sic peccator animam habet siccam et aridam, iuxta illud Psal. CXLII, 6: "*Anima mea sicut terra sine aqua tibi*".

33. - Item *tertio* dicitur sanctum, idest sanguine tinctum; unde sancti qui sunt in caelo, sancti dicuntur, eo quod sunt sanguine tincti, iuxta illud Apoc. vii, 14: "*Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine agni*". Item *ibid.* i, : 5 "*Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*".

Petitio 2

ADVENIAT REGNUM TUUM

34. - Sicut dictum est, Spiritus Sanctus facit nos recte amare, desiderare et petere; et efficit in nobis *primo timorem*, per quem quaerimus quod nomen Dei sanctificetur. *Aliud* donum est donum *pietatis*. Et est proprie pietas, dulcis et devotus affectus ad patrem, et ad omnem hominem in miseria constitutum. Cum ergo Deus sit Pater noster, ut patet, non solum debemus eum revereri et timere, sed etiam ad eum habere debemus dulcem et pium affectum. Hic autem affectus facit nos petere quod adveniat regnum Dei. Tit. n, 12-13: "*Pie et iuste vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei*".

35. - Posset autem quaeri: Regnum Dei semper fuit: quare ergo petimus quod veniat?

Et ideo dicendum est, quod hoc potest *tripliciter* intelligi.

A) *Primo* quia aliquando rex habet ius regni solum, seu dominii: et tamen nondum dominium ipsius regni est declaratum, quia nondum homines regni sunt ei subiecti.

Tunc ergo apparebit primo eius regnum seu dominium, quando homines regni erunt sibi subiecti.

Deus autem ex se et sua natura est Dominus omnium: et Christus secundum quod Deus, et etiam secundum quod homo, habet a Deo quod sit Dominus omnium. Dan. vii, 14: "*Dedit ei potestatem et honorem et regnum*". Oportet ergo quod sibi sint omnia subjecta. Hoc autem nondum est, sed erit in fine. I Cor. XV, 25: "*Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*". Et ideo petimus et dicimus: "Adveniat regnum tuum".

36. --- Et hoc quantum ad *tria*: scilicet ut peccatores convertantur et fiant iusti per gratiam Dei, peccatores contumaces in inpaenitentia finali puniantur, et mors destruat.

Nam homines *dupliciter* subiiciuntur Christo: *aut* voluntarii, *aut* inviti. Cum enim voluntas Dei sit ita efficax quod oporteat penitus illam compleri, et Deus velit quod omnia subiiciantur Christo: alterum *duorum* erit necessarium: ut scilicet *aut* homo faciat voluntatem Dei subiiciendo se mandatis eius, et hoc facient *iusti*; *aut* Deus faciat de omnibus voluntatem suam puniendo eos, et hoc faciet *peccatoribus contumacibus* et *inimicis* suis. Et hoc erit in fine mundi. Psal. cix, 1: "*Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*". Et ideo sanctis est datum quaerere quod adveniat regnum Dei, scilicet quod ipsi totaliter subiiciantur ei; sed peccatoribus contumacibus est horribile, quia nihil aliud est quaerere quod adveniat regnum Dei, nisi quod de voluntate Dei subiiciantur poenis. Amos v, 18: "*Vae desiderantibus diem Domini*".

Sed et ex hoc destruitur mors. Cum enim Christus sit vita, non potest in regno eius esse mors, quae est vitae contraria: ideo dicitur I Cor. xv, 26: "*Novissime autem*

inimica destruetur mors". Et hoc erit in resurrectione. Phil. iii, 21: "Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae".

37.---B) *Secundo* regnum caelorum dicitur gloria paradisi. Nec mirum: nam regnum nihil aliud dicitur nisi regimen. Ibi autem est optimum regimen ubi nihil invenitur contra voluntatem regentis. Voluntas autem Dei est salus hominum, quia vult homines salvos fieri (cf. I Tim., 2, 4); et hoc potissime erit in paradiso, ubi nihil erit saluti hominum repugnans. Matth. xiii, 41: *"Auferentur de regno eius omnia scandala"*. In mundo autem isto sunt multa contra salutem hominum. Cum ergo petimus: "Adveniat regnum tuum", oramus, ut simus participes regni caelestis et gloriae paradisi.

38.---Quod quidem regnum est valde desiderandum propter *tria*.

Primum propter summam iustitiam quae est in eo. Isai. LX, 21: *«Populus tuus omnes iusti»*. Hic enim mali sunt mixti bonis: sed ibi nullus malus erit, et nullus peccator.

39.---*Item* propter perfectissimam libertatem. Hic enim non est libertas, quanquam omnes naturaliter desiderent eam; sed ibi erit omnimoda libertas contra omnem servitutem. Rom. viii, 21: *"Ipsa creatura liberabitur a corruptione"*. Et non solum erunt ibi omnes liberi, sed erunt reges: Apoc. v, 10: *"Fecisti nos Deo nostro regnum"*.

Cuius ratio est, quia omnes erunt eiusdem voluntatis cum Deo, et Deus volet quidquid sancti volent, et sancti quidquid Deus voluerit: unde cum voluntate Dei fiet voluntas eorum. Et ideo omnes regnabunt, quia omnium voluntas fiet, et Dominus erit corona omnium. Isai. xxviii, 5: *"In die illa erit Dominus exercituum corona gloriae, et sertum exultationis residuo populi sui"*.

40.--- Item propter mirabilem affluentiam. Isai. LXIV, 4: "Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti expectantibus te". Psal. cii, 5: "Qui replet in bonis desiderium tuum".

Et nota quod homo inveniet omnia in solo Deo excellentius et perfectius omni eo quod in mundo quaeritur. Si delectationem quaeris, summam invenies in Deo; si divitias, ibi omnem sufficientiam invenies, propter quam sunt divitiae; et sic de aliis. Augustinus, in *Confess.*: *Anima cum fornicatur abs te, quaerit extra te, quae pura et limpida non invenit, nisi cum redit ad te.*

41.--- C) Tertio modo, quia aliquando in mundo isto regnat peccatum. Et hoc est quando homo est ita dispositus quod statim sequitur et prosequitur appetitum peccati. Apostolus, Rom. vi, 12: "Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore": sed debet Deus regnare in corde tuo. Isai. vii, 7: "Sion, regnabit Deus tuus". Et hoc est quando paratus est obedire Deo, et servare omnia mandata sua. Cum ergo petimus quod veniat regnum, oramus quod non regnet in nobis peccatum, sed Deus.

42.--- Per hanc autem petitionem perveniemus ad beatitudinem, de qua dicitur Matth. V, 4: "Beati mites": nam secundum primam expositionem, ex quo homo desiderat quod Deus sit Dominus omnium, non vindicat se de iniuria sibi illata, sed reservat eam Deo. Nam si vindicares te, non quaereres quod adveniret regnum eius. Secundum vero secundam expositionem, si tu expectas regnum eius, idest gloriam paradisi, non debes curare si perdis res mundanas. Item secundum tertiam expositionem, si tu petis quod Deus regnet in te et Christus; cum ipse fuerit mitissimus, et tu debes esse mitis. Matth xi, 29: "Discite a me, quia mitis sum". Hebr. x, 34: "Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis".

Petitio 3

FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN CAELO, ET IN TERRA

43.---Tertium donum quod efficit in nobis Spiritus sanctus, dicitur donum *scientiae*. Ipse enim Spiritus sanctus non solum efficit in bonis donum timoris et donum pietatis, quae est dulcis affectus ad Deum, ut dictum est, sed etiam facit hominem sapientem. Et hoc petebat David in Psal. cxviii, 66, dicens: *"Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me"*. Et haec est scientia qua homo bene vivit, quam docuit nos Spiritus Sanctus.

Inter alia autem quae faciunt ad scientiam et sapientiam hominis pottissima sapientia est, quod homo non innitatur sensui suo. Prov. iii, 5: *"Ne innitaris prudentiae tuae"*. Nam illi qui praesumunt de sensu suo, ita quod non credunt aliis, sed sibi tantum, semper inveniuntur et iudicantur stulti. Prov. xxvi, 12: *"Vidisti hominem sapientem sibi videri? Magis illo spem habebit insipiens"*. Quod autem homo non credat sensui suo, procedit ex humilitate: unde et locus humilitatis est sapientia, ut dicitur Prov. xi, 2. Superbi autem sibi ipsis nimis credunt.

44.--- Docet ergo hoc Spiritus Sanctus per donum scientiae, ut scilicet non faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei. Et ideo propter hoc donum petimus a Deo ut fiat voluntas sua sicut in caelo et in terra. Et in hoc apparet donum scientiae. Unde hoc modo dicitur Deo, "Fiat voluntas tua", sicut si esset unus infirmus, et vellet aliquid a medico, non praecise vult, sed de voluntate medici; alias si tantum de voluntate sua vellet, esset stultus. Sic nos a Deo nihil petere debemus nisi quod fiat de nobis voluntas sua, idest ut voluntas sua compleatur in

nobis.

Tunc enim est rectum cor hominis quando concordat cum voluntate divina. Hoc Christus fecit: Ioan. vi, 38: *"Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me"*. Christus enim, secundum quod Deus, eandem voluntatem habet cum Patre; sed, secundum quod homo, habet aliam voluntatem a Patre: et secundum hanc dicit se non facere voluntatem suam sed Patris. Et ideo docet nos orare et petere: *"Fiat voluntas tua"*.

45.--- Sed quid est quod dicitur? Nonne in Psal. cxiii, 3, dicitur: *"Omnia quaecumque voluit fecit"*? Si omnia facit quae vult in caelo et in terra, quid est hoc quod dicit: *"Fiat voluntas tua sicut in caelo, et in terra"*?

46.--- Ad hoc sciendum est, quod Deus *tria* vult de nobis, et nos petimus quod haec impleantur.

A) *Primum* quidem quod Deus vult de nobis, est quod nos habeamus vitam aeternam. Quicumque enim facit aliquid propter aliquem finem, vult de illa re illud pro quo facit eam. Deus autem fecit hominem, sed non pro nihilo: quia, sicut dicitur in Psal. Lxxxviii 48: *"Numquid vane constituisti omnes filios hominum"*. Fecit ergo homines propter aliquid, sed non propter voluptates, quia et bruta habent eas, sed ut habeant vitam aeternam. Vult ergo Dominus ut homo habeat vitam aeternam.

47.--- Quando vero aliquid consequitur illud ad quod factum est, dicitur quod salvatur; quando vero non consequitur, dicitur quod res illa perditur. Deus autem fecit hominem propter vitam aeternam. Cum ergo consequitur vitam aeternam, salvatur; et hoc vult Dominus: Ioan. vi, 40: *"Haec est autem voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam"*.

Haec autem voluntas iam completa est in Angelis et in Sanctis qui sunt in patria, quia vident Deum et cognoscunt, et fruuntur eo; sed nos desideramus quod sicut voluntas Dei completa est in beatis qui sunt in caelis, ita compleatur in nobis qui sumus in terra: et hoc petimus cum oramus: "Fiat voluntas tua" in nobis qui sumus in terra, sicut in Sanctis qui sunt in caelo.

48.--- B) *Alia* voluntas Dei de nobis est ut servemus mandata eius. Quando enim aliquis desiderat aliquid, non solum vult illud quod desiderat, sed omnia per quae venitur ad illud; sicut medicus ut consequatur sanitatem, vult etiam dietam et medicinam et huiusmodi.

Deus autem vult ut habeamus vitam aeternam. Matth. xix, 17: «*Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*». Vult ergo ut servemus mandata. Rom. xii, 1: «*Rationabile obsequium vestrum*, ib. 2: *ut probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta*». Bona, quia utilis: Isai. XLVIII, 17: «*Ego Dominus docens te utilia*». Beneplacens amanti; et si aliis non sit grata, amanti tamen est delectabilis. Psal. xcvi, 11: «*Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia*». Perfecta, quia honesta: Matth. v, 48: «*Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est*».

Sic ergo cum dicimus, «Fiat voluntas tua», oramus ut impleamus mandata Dei.

Haec autem voluntas Dei fit in iustis, sed in peccatoribus nondum fit. Iusti autem designantur per caelum, peccatores autem per terram. Petimus ergo ut fiat voluntas Dei ita «in terra», idest in peccatoribus, «sicut in caelo», idest in iustis.

49.--- Notandum autem, quod ex modo loquendi datur nobis doctrina. Non enim dicit, Fac, nec etiam Faciamus;

sed dicit, "Fiat voluntas tua": quia ad vitam aeternam *duo* sunt necessaria, scilicet gratia Dei et voluntas hominis; et licet Deus fecit hominem sine homine, non tamen iustificat eum sine eo. Augustinus *super Ioan.*: "*Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te*", quia vult quod homo cooperetur. Zach. i, 3: "*Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*". Apostolus, I Cor. xv, 10: "*Gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit*". Non ergo praesumas de te, sed confidas de gratia Dei: nec negligas, sed adhibeas studium tuum: et ideo non dicit, *Faciamus*, ne videretur quod nihil faceret gratia Dei; nec dicit, *Fac*, ne videatur quod nihil faceret voluntas et conatus noster; sed dicit, "*Fiat*" per gratiam Dei, adhibito studio et conatu nostro.

50.--- C) *Tertium* quod vult Deus de nobis, est, ut restituatur homo ad statum et dignitatem in qua creatus fuit primus homo; quae tanta fuit ut spiritus et anima nullam repugnantiam sentiret a carne et sensualitate.

Quandiu enim anima subiecta fuit Deo, caro ita subiecta fuit spiritui ut nullam corruptionem mortis seu infirmitatis et aliarum passionum sentiret; sed ex quo spiritus et anima, quae erat media inter Deum et carnem, rebellavit Deo per peccatum, tunc corpus rebellavit animae, et tunc mortem et infirmitates sentire coepit, et continuam rebellionem sensualitatis ad spiritum. Rom. vii, 23: "*Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae*"; et Gal. v, 17: "*Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*". Sic est continua pugna inter carnem et spiritum, et homo continue deterioratur per peccatum. Est ergo voluntas Dei ut homo restituatur ad statum primum, ut scilicet nihil sit in carne contrarium spiritui: I Thess. iv, 3: "*Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra*".

51. --- Haec autem voluntas Dei non potest impleri in vita

ista, sed complebitur in resurrectione sanctorum, quando resurgent corpora glorificata, et erunt incorruptibilia et nobilissima: I Cor. xv, 43: "*Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*". Est tamen voluntas Dei in iustis quantum ad spiritum per iustitiam et scientiam et vitam. Et ideo cum dicimus, "*Fiat voluntas tua*", oramus ut etiam fiat in carne. Nam hoc modo per caelum accipimus spiritum, per terram carnem; ut sit sensus: "*Fiat voluntas tua*" ita "*in terra*", idest in carne nostra, "*sicut*" fit "*in caelo*", idest in spiritu nostro per iustitiam.

52. --- Per hanc autem petitionem pervenimus ad beatitudinem luctus, de qua Matth. v, 5: "*Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*". Et hoc secundum quamlibet *trium* expositionum.

Nam secundum *primam* desideramus vitam aeternam: unde per eius dilectionem inducimur ad luctum: Psal. cxix, 5: "*Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*". Et hoc desiderium sanctorum est ita vehemens quod propter hoc desiderant mortem, quae secundum se fugienda est: II Cor. v, 8: "*Audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Deum*".

Item secundum *secundam* expositionem, illi qui servant mandata, sunt in luctu: quia licet sint dulcia animae, tamen carni sunt amara, quae continue maceratur: Psal. cxxv, 5: "*Euntes ibant et flebant*", quantum ad carnem; "*venientes autem venient cum exultatione*", quantum ad animam.

Item secundum *tertiam* expositionem, ex pugna quae continue est inter carnem et spiritum, provenit luctus. Non enim potest fieri quin anima saucietur ad minus per venialia a carne: et ideo ut expiatur, est in luctu: Psal. vi, 7: "*Lavabo per singulas noctes*", idest obscuritates

peccati, *"lectum meum"*, idest conscientiam meam. Et qui sic plorant, perveniunt ad patriam, ad quam nos perducatur Deus.

Petitio 4

PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE

53. --- Multoties accidit quod aliquis ex magna scientia et sapientia efficitur timidus; et ideo est ei necessaria *fortitudo* cordis, ne deficiat in necessitatibus. Isai. XL, 29: *"Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat"*. Hanc autem fortitudinem Spiritus Sanctus dat: Ezech. ii, 2: *"Ingressus est in me spiritus... et statuit me super pedes meos"*. Est autem haec fortitudo quam Spiritus sanctus dat, ut cor hominis non deficiat timore rerum necessariorum, sed credat firmiter quod omnia quae sunt ei necessaria, ministrentur sibi a Deo. Et ideo Spiritus Sanctus, qui hanc fortitudinem dat, docet nos petere a Deo: "Panem nostrum quotidianum da nobis hodie": Unde Spiritus fortitudinis dicitur.

54. - Sciendum est autem, quod in tribus praecedentibus petitionibus petuntur spiritualia, quae hic inchoantur in hoc mundo, sed non perficiuntur nisi in vita aeterna. Cum enim petimus quod sanctificetur nomen Dei, petimus quod cognoscatur sanctitas Dei; cum vero petimus quod adveniat regnum Dei, petimus quod simus participes vitae aeternae; cum autem oramus quod fiat voluntas Dei, petimus quod compleatur voluntas eius in nobis; quae omnia etsi inchoentur in hoc mundo, non tamen possunt haberi perfecte nisi in vita aeterna. Et ideo necessarium fuit aliqua petere necessaria quae perfecte possent haberi in vita praesenti. Et inde est quod Spiritus Sanctus docuit petere necessaria in vita praesenti, quae perfecte

hic habentur: simul etiam ut ostendat quod etiam temporalia providentur nobis a Deo. Et hoc est quod dicit: "Panem nostrum quotidianum da nobis hodie".

55. --- In quibus quidem verbis docuit nos vitare *quinque* peccata quae consueverunt contingere ex desiderio rerum temporalium.

Primum peccatum est quod homo per immoderatum appetitum petit ea quae statum et conditionem eius excedunt, non contentus his quae decent eum: sicut si desiderat vestes, non vult eas ut miles, si est miles, sed sicut comes; non ut clericus, si est clericus, sed sicut Episcopus. Et hoc vitium retrahit homines a spiritualibus, inquantum nimis inhaeret eorum desiderium temporalibus.

Hoc autem vitium docuit nos vitare Dominus, docens nos petere *panem* tantum, idest necessaria ad praesentem vitam secundum conditionem uniuscuiusque; quae omnia sub nomine panis intelliguntur. Unde non docuit delicata petere, non diversa, non exquisita, sed panem, sine quo vita hominis duci non potest, quia omnibus communis est. Eccli. XXIX, 28: "*Initium vitae hominis panis et aqua*". Apostolus, I Tim. vi, 8: "*Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus*".

56. --- *Secundum* vitium est quod aliqui in acquisitione rerum temporalium alios molestant et defraudant. Hoc vitium est adeo periculosum quod est difficile bona ablata restitui. Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, secundum Augustinum. Quod quidem vitium docuit nos vitare, docens nos petere panem *nostrum*, non alienum. Raptores enim non comedunt panem suum, sed alienum.

57. - *Tertium* est superflua sollicitudo. Aliqui enim sunt qui

nunquam sunt contenti de eo quod habent, sed semper plus volunt; quod quidem immoderatum est, quia desiderium debet moderari secundum necessitatem. Prov. xxx, 8: *"Divitias et paupertatem ne dederis mihi; sed tantum victui meo tribue necessaria"*. Et hoc monuit nos vitare, dicens: *"Panem nostrum quotidianum"*, idest unius diei, vel unius temporis.

58. - *Quartum* vitium est immoderata voracitas. Sunt enim aliqui qui tantum volunt consumere uno die quod sufficeret pluribus diebus; et isti petunt non panem quotidianum, sed decem dierum; et ex hoc quod nimis expendunt, contingit quod omnia consumunt. Prov. xxiii, 21: *"Vacantes potibus, et dantes symbola, consumuntur"*. Eccli. xix, 1: *"Operarius ebriosus non locupletabitur"*.

59. - *Quintum* vitium est ingratitude. Nam cum aliquis ex divitiis superbit, et non recognoscit a Deo ea quae habet, hoc est valde malum: quia omnia quae habemus, sive spiritualia, sive temporalia, a Deo sunt. I Paral. xxix, 14: *"Omnia tua sunt, de manu tua accepimus"*. Ideo ad removendum hoc vitium, dicit: "Da nobis", et "panem nostrum", ut sciamus quod omnia nostra a Deo sunt.

60. --- Sed de hoc habemus unum documentum: quia aliquando aliquis habet multas divitias, et ex eis nullam utilitatem consequitur, sed damnum spirituale et temporale. Nam aliqui propter divitias perierunt. Eccle. vi, 1-2: *"Est et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus divitias et substantiam et honorem, et nihil deest animae suae ex omnibus quae desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud"*. Item ibid. v, 12: *"Divitiae congregatae in malum domini sui"*. Debemus ergo petere ut divitiae nostrae sint nobis ad utilitatem. Et hoc petimus cum dicimus: "Panem nostrum da nobis"; idest, fac divitias nobis utiles. Iob xx, 13-15:

"Panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Divitias quas devoravit, evomet; et de ventre illius extrahet eas Deus".

61. --- ***Aliud*** vitium est in rebus mundi, scilicet superflua sollicitudo. Nam aliqui sunt qui hodie sollicitantur de rebus temporalibus quae erunt usque ad unum annum: et qui hoc habent, nunquam quiescunt. Matth. vi, 31: ***"Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?"***. Et ideo Dominus docet nos petere quod ***hodie*** detur nobis panis noster, idest ea quae, sunt nobis necessaria ad praesens tempus.

62. --- Invenitur quidem alius ***duplex*** panis: scilicet sacramentalis, et panis verbi Dei.

Petimus ergo panem nostrum sacramentalem, qui quotidie in Ecclesia conficitur; ut sicut illud accipimus in sacramento, ita detur nobis ad salutem. Ioan. vi, 51: ***"Ego sum panis vivus qui de caelo descendi"***. I Cor. xi 29: ***"Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit"***.

Item alius panis est verbum Dei. Matth. iv, 4: ***"Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei"***. Petimus ergo ut det nobis panem, idest verbum suum. Ex hoc autem provenit homini beatitudo quae est fames iustitiae. Nam postquam spiritualia habentur, magis desiderantur; et ex hoc desiderio provenit fames, et ex fame satietas vitae aeternae.

Petitio 5

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS

63. --- Inveniuntur aliqui magnae sapientiae et forti-

tudinis; et quia nimis confidunt de virtute sua, non agunt sapienter quae agunt, nec perducunt quod intendunt ad complementum. Prov. xx, 18: "*Cogitationes consilii roborantur*". Sed notandum, quod Spiritus Sanctus, qui dat fortitudinem, dat etiam *consilium*.

Nam omne bonum consilium de salute hominum est a Spiritu Sancto. Tunc autem consilium est homini necessarium quando est in tribulatione, sicut consilium medicorum cum aliquis infirmatur. Unde et homo cum spiritualiter infirmetur per peccatum, debet quaerere consilium, ut sanetur.

Consilium autem peccatori necessarium ostenditur Dan. iv, 24, cum dicitur: "*Consilium meum placeat tibi, rex. Peccata tua eleemosynis redime*". Optimum ergo consilium contra peccata est eleemosyna et misericordia; et ideo Spiritus Sanctus docet peccatores petere et orare: "Dimitte nobis debita nostra".

64. --- Debemus autem Deo illud quod auferimus de iure suo. Ius autem Dei est ut faciamus voluntatem suam, praeferendo eam voluntati nostrae. Auferimus ergo Deo ius suum, cum praeferimus voluntatem nostram voluntati suae; et hoc est peccatum. Peccata ergo sunt debita nostra. Est ergo consilium Spiritus Sancti ut petamus a Deo veniam peccatorum; et ideo dicimus: "Dimitte nobis debita nostra".

65. --- Possumus autem in his verbis *tria* considerare. *Primum* est *quare* fit haec petitio; *secundum* *quando* impleatur; *tertiitm* est quid requiratur *ex parte nostra* ut impleatur.

A) Circa *primum* sciendum, quod ex hac petitione possumus *duo* colligere, quae necessaria sunt hominibus in vita ista.

Unum est quod homo semper sit in timore et humilitate. Aliqui enim fuerunt ita praesumptuosi quod dicerent quod homo poterat vivere in mundo isto ita quod ex se poterat vitare peccata. Sed hoc nulli datum est, nisi soli Christo, qui habuit spiritum non ad mensuram, et Beatae Virgini, quae fuit plena gratiae, in qua nullum peccatum fuit, sicut dicit Augustinus: *"De qua (scilicet Virgine) cum de peccatis agitur, nullam volo fieri mentionem"*. Sed de aliis sanctis nulli concessum est quin ad minus veniale peccatum incurreret: I Ioan. i, 8: *"Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est"*. Et hoc etiam probatur per petitionem istam. Constat enim quod omnibus hominibus, sanctis etiam, convenit dicere: "Pater noster", in quo dicitur: "Dimitte nobis debita nostra". Ergo omnes recognoscunt et confitentur se peccatores vel debitores. Si ergo peccator es, debes timere et humiliari.

66. --- *Aliud* est quod semper vivamus in spe: quia licet simus peccatores, non debemus desperare, ne desperatio ducat nos ad maiora et diversa peccata, sicut dicit Apostolus, Ephes. iv, 19: *"Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis"*. Ergo multum est utile quod semper speremus: quia quantumcumque homo sit peccator, debet sperare quod Deus, si perfecte conteratur et convertatur, dimittet ei. Haec autem spes firmatur in nobis cum petimus: "Dimitte nobis debita nostra".

67. --- Sed hanc spem abstulerunt Novatiani, qui dixerunt, quod qui semel peccabant post baptismum, nunquam consequerentur misericordiam. Hoc autem non est verum, si verum dixit Christus dicendo, Matth. xviii, 32: *"Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me"*. In quacumque ergo die petes, poteris consequi misericordiam, si roges cum poenitudine peccati. Si igitur ex hac petitione consurgit timor et spes: quia omnes peccatores contriti et

confitentes, misericordiam consequuntur. Et ideo necessaria fuit haec petitio.

68. --- B) Circa *secundum* sciendum est, quod in peccato sunt *duo*: scilicet culpa qua offenditur Deus, et poena quae debetur pro culpa. Sed culpa remittitur in contritione, quae est cum proposito confitendi et satisfaciendi Psal. xxxi, 5: « *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei* ». Non est igitur desperandum, ex quo ad remissionem culpae sufficit contritio cum proposito confitendi.

69. -- Sed forte quis dicet: Ex quo dimittitur peccatum contritione, ad quid necessarius est Sacerdos?

Ad hoc dicendum est, quod Deus in contritione dimittit culpam, et poena aeterna commutatur in temporalem; sed nihilominus manet adhuc obligatus ad poenam temporalem. Unde si decederet sine confessione, non contempta tamen, sed praeventa, iret ad purgatorium, cuius poena, sicut dicit Augustinus, est maxima. Quando ergo confiteris, Sacerdos absolvit te de hac poena in clavium virtute, cui te subieceris in confessione; et ideo dixit Christus Apostolis, Ioan. xx, 22-23: "*Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*". Unde quando semel confitetur quis, dimittitur ei aliquid de poena huiusmodi, et similiter quando iterum confitetur: et posset toties confiteri, quod tota sibi dimitteretur.

70. --- Invenerunt autem successores Apostolorum alium modum remissionis huius poenae: scilicet beneficia indulgentiarum quae existenti in caritate tantum valent quantum sonant et quantum pronuntiantur. Quod autem Papa hoc possit, satis patet. Nam multi sancti multa bona fecerunt, et tamen isti non peccaverunt, ad minus mortaliter; et haec bona fecerunt in utilitatem Ecclesiae.

Similiter meritum Christi et Beatae Virginis sunt sicut in thesauro. Unde summus Pontifex, et illi quibus ipse committit, possunt huiusmodi merita, ubi necesse est, dispensare.

Sic ergo dimittuntur peccata non solum quantum ad culpam in contritione, sed etiam quantum ad poenam in confessione, et per indulgentias.

71. --- C) Circa *tertium* sciendum, quod ex parte nostra requiritur ut nos dimittamus proximis nostris offensas factas nobis. Unde dicitur: "Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris": aliter Deus non dimitteret nobis. Eccli. xxviii, 3: "*Homo homini servat iram, et a Deo quaerit medelam*". Luc. vi, 37: "*Dimitte et dimittemini*". Et ideo solummodo in ista petitione ponitur conditio, cum dicitur: "Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris". Si ergo non dimittis, nor dimittetur tibi.

72. --- Sed posses dicere: Ego dicam praecedentia, scilicet "dimitte nobis", sed "sicut et nos dimittimus debitoribus nostris", tacebo.

Ergo Christum decipere quaeris? Sed certe non decipis. Nam Christus qui hanc orationem fecit, bene recordatur eius: unde non potest decipi. Ergo si dicis ore, adimpleas corde.

73. --- Sed quaeritur utrum ille qui non proponit dimittere proximo suo, debeat dicere: "Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris." Videtur quod non, quia mentitur.

Dicendum, quod non mentitur, quia non orat in persona sua, sed Ecclesiae, quae non decipitur: et ideo ponitur ipsa petitio in plurali.

74. --- Sed sciendum, quod *duobus* modis dimittitur. *Unus*

est perfectorum, ut scilicet offensus requirat offendentem. Psal. xxxiii, 15: *"Inquire pacem"*. Alius est communiter omnium, ad quem tenentur omnes, ut scilicet petenti veniam tribuat. Eccli. xxviii, 2: *"Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur"*.

75. --- Ex hoc sequitur alia beatitudo: "Beati misericordes": misericordia enim facit nos misereri proximo nostro.

Petitio 6

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM

76. --- Sunt aliqui qui licet peccaverint, tamen desiderant veniam consequi de peccatis: unde et confitentur et poenitent; sed tamen non adhibent totum studium quod deberent, ut iterato in peccata non ruant. Quod quidem non est conveniens, ut scilicet ex una parte ploret quis peccata dum poenitet, ex alia unde ploret accumulet, dum peccat. Et propter hoc dicitur Isai. i, 16: *"Levamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse"*. Et ideo, sicut supra dictum est, Christus in praecedenti docuit nos petere veniam peccatorum; in hac vero docet nos petere ut possimus vitare peccata, ut scilicet non inducamur in tentationem per quam labamur in peccata, cum dixit: "Et ne nos inducas in tentationem".

77. --- Circa quod *tria* quaeruntur. *Primo quid sit tentatio; secundo qualiter homo tentatur, et a quo; tertio vero quomodo liberatur* in tentatione.

78. --- A) *Circa primum* sciendum est, quod tentare nihil aliud est quam experiri seu probare: unde tentare hominem est probare virtutem eius.

Experitur autem seu probatur virtus hominis *dupli-*

citer, secundum quod *duo* exigit hominis virtus. *Unum* pertinet ad bene operandum, scilicet quod bene operetur; *aliud* est quod caveat a malo. Psal. xxxm, 15: "*Declina a malo, et fac bonum*". Probatur ergo virtus hominis *quandoque* quantum ad hoc quod bene facit, *quandoque* vero quantum ad hoc cesset a malo.

79. --- Quantum ad *primum* probatur homo utrum inveniatur promptus ad bonum, ut ad ieiunandum et huiusmodi. Tunc enim est virtus tua magna quando promptus inveniris ad bonum. Et hoc modo Deus probat aliquando hominem; non quod lateat eum virtus hominis, sed ut eam omnes cognoscant, et detur omnibus in exemplum. Sic tentavit Deus Abraham, Gen. xxii, et Iob. Et ideo Deus saepe immittit tribulationes iustis, ut dum patienter sustinent, appareat virtus eorum, et in virtute proficiant. Deut. xiii, 3: "*Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non*". Sic ergo Deus tentat provocando ad bonum.

80. --- B) Quantum ad *secundum* probatur virtus hominis per inductionem ad malum. Et si bene resistit, et non consentit, tunc virtus hominis magna est; si vero homo succumbit tentationi, tunc virtus hominis nulla est. Hoc autem modo nullus tentatur a Deo: quia, sicut dicitur Iac. i, 13: "*Deus intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*". Sed tentatur homo a propria carne, a diabolo et a mundo.

81. --- a) A carne *dupliciter*. *Primo* quia caro instigat ad malum: caro enim semper quaerit delectationes suas, scilicet carnales, in quibus est saepe peccatum. Qui enim immoratur delectationibus carnalibus, negligit spiritualia. Iac. i, 14: "*Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua*". *Secundo* tentat caro retrahendo a bono. Nam spiritus, quantum est de se, semper delectaretur in spiritualibus bonis; sed caro aggravans impedit spiritum.

Sap. ix, 15: *"Corpus quod corrumpitur, aggravat animam"*.
 Rom. VII, 22: *"Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis"*.

Sed haec tentatio, scilicet carnis, est valde gravis, quia inimicus noster, scilicet caro, coniunctus est nobis: et, sicut dicit Boetius, nulla pestis efficacior est ad nocendum quam familiaris inimicus. Et ideo contra eam vigilandum est. Matth. xxvi, 41: *"Vigilate et orate, ne intretis in tentationem"*.

82. --- b) Diabolus fortissime tentat. Nam postquam conculcatur caro, insurgit alius, scilicet diabolus, contra quem est nobis magna colluctatio. Apostolus, Ephes. vi, 12: *"Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum"*. Unde et signanter dicitur tentator. I Thess. ra, 5: *"Ne forte tentaverit vos is qui tentat"*.

In tentatione autem sua callidissime procedit. Ipse enim, sicut bonus dux exercitus qui obsidet aliquod castrum, considerat infirma eius quem impugnare vult, et ex illa parte unde magis est homo debilis, tentat eum. Et ideo tentat de illis vitiis ad quae homines conculcata carne magis proni sunt, ut de ira, de superbia, et de aliis spiritualibus vitiis. I Petr. v, 8: *"Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret"*.

83. --- Facit autem *duo* diabolus dum tentat: quia non statim proponit illi quem tentat, malum aliquod apparens, sed aliquid quod habeat speciem boni, ut saltem in ipso principio per illud removeat eum aliquantulum a proposito suo principali, quia postmodum facilius inducit

ipsum ad peccandum, quando illum vel modicum avertit. Apostolus, II Cor. xi, 14: *"Ipse Satanah transfigurat se in Angelum lucis"*. Deinde postquam induxit eum ad peccandum, sic alligat eum ut non permittat eum a peccatis resurgere. Iob. XL, 12: *"Nervi testicularum eius perplexi sunt"*. Sic ergo duo facit diabolus: quia decipit, et deceptum detinet in peccato.

84. --- c) Sed mundus *dupliciter* tentat. *Primo* per nimium et immoderatum desiderium rerum temporalium. Apostolus, I Tim. vi, 10: *"Radix omnium malorum est cupiditas"*. *Secundo* per persecutores et tyrannos terrendo. Iob xxxvii, 19: *"Nos quoque involvimur tenebris"*. II Tim. iii, 12: *"Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur"*. Math x, 28: *"Nolite timere eos qui occidunt corpus"*.

85. --- Sic ergo patet quid est tentatio, et qualiter tentatur homo, et a quo.

C) Sequitur videre *qualiter* homo liberatur.

Circa quod sciendum est, quod Christus docet nos rogare non ut non tentemur, sed ut non inducamur in tentationem. Nam si homo vincit tentationem, meretur coronam; et ideo dicitur Iac. i, 2: *"Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis"*. Eccli. ii, 1: *"Fili, accedens ad servitatem Dei... praepara animam tuam ad tentationem"*. Item Iac. i, 12: *"Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae"*. Et ideo docet petere ut non inducamur in tentationem per consensum. I Cor. x, 13: *"Tentatio vos non apprehendat nisi humana"*. Nam tentari humanum est, sed consentire diabolicum est.

86. --- Sed nunquid Deus inducit ad malum, quia dicit: "Et ne nos inducas in tentationem"?

Dico, quod Deus dicitur inducere ad malum permit-
tendo, in quantum scilicet propter multa peccata sub-
trahit homini gratiam suam, qua sublata homo labitur in
peccatum: et ideo cantatus in Psalmo LXX, 9: "*Cum
defecerit virtus mea, ne derelinquas me (Domine)*". Regit
autem hominem ne inducatur in tentationem per fervorem
caritatis: quia quaelibet caritas quantumcumque parva,
potest resistere cuilibet peccato. Cant. viii, 7: "*Aquae
multae non potuerunt extinguere caritatem*". Item per
lumen intellectus, quo instruit nos de agendis: quia, sicut
dicit Philosophus, omnis peccans est ignorans. Psal. xxxi,
8: "*Intellectum tibi dabo, et instruam te*". Hoc autem
petebat David, qui dicebat, Psal. xii, 4-5: "*Illumina oculos
meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat
inimicus meus, Praevalui adversus eum*".

87. --- Hoc autem habemus per donum intellectus. Et quia
cum non assentimur tentationi, servamus cor mundum, de
quo Matth. v, 8: "*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum
videbunt*": ideo ex hoc pervenimus ad visionem Dei, ad
quam nos perducatur.

Petitio 7

SED LIBERA NOS A MALO. AMEN

88. --- Supra docuit nos Dominus petere veniam pec-
catorum, et quomodo possumus vitare tentationes: hic
vero docet petere praeservationem a malis. Et haec
petitio est generalis contra omnia mala; scilicet peccata,
infirmittates et afflictiones, sicut dicit Augustinus. Sed quia
de peccato et tentatione dictum est, dicendum est de
aliis malis, scilicet adversitatibus et afflictionibus
omnibus huius mundi; a quibus Deus liberat
quadupliciter.

89. --- *Primo* ne superveniat afflictio. Sed hoc raro contingit: quoniam sancti in mundo isto affliguntur, quia, ut dicitur II Tim. iii, 12: "*Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur*". Sed tamen alicui Deus concedit aliquando ut non affligatur a malo; quando scilicet cognoscit eum impotentem, et non posse resistere; sicut medicus infirmo debili non dat violentes medicinas. Apoc. iii, 8: "*Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem*". In patria autem erit generale hoc, quia nullus affligetur ibi. Iob v, 19: "*In sex tribulationibus*", scilicet praesentis vitae, quae per sex aetates distinguitur, "*liberabit te; et in septima non tanget te malum*". Apoc. vii, 16: "*Non esurient neque sitient amplius*".

90. --- *Secundo* liberat quando in afflictionibus consolatur. Nam nisi Deus consolaretur, non posset homo subsistere. II Cor. 1, 8: "*Supra modum gravati sumus supra virtutem nostram*"; et ibid. vii, 6: "*Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus*". Psal. xciii: "*Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam*".

91. --- *Tertio* quia afflictis tot bona facit quod tradunt mala oblivioni. Tob. iii, 22: "*Post tempestatem tranquillum facis*". Sic ergo afflictiones et tribulationes huius mundi non sunt timendae, quia facile tolerantur et propter consolationem admixtam, et propter brevitatem. Apostolus, II Cor. iv, 17: "*Id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis*": quia ex his pervenitur ad vitam aeternam.

92. --- *Quarto* quia tentatio et tribulatio convertitur in bonum: et ideo non dicit, "Libera nos" a tribulatione, sed

"a malo": quia tribulationes sunt sanctis ad coronam; et inde est quod gloriantur de tribulationibus. Apostolus, Rom. v, 3: *"Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur"*. Tob. iii, 13: *"In tempore tribulationis peccata dimittis"*. Liberat ergo Deus hominem a malo et tribulationibus, eas in bonum convertendo, quod est signum maximae sapientiae, qui sapientis est malum ordinare in bonum; et hoc fit per patientiam, quae habetur in tribulationibus. Ceterae vero virtutes bonis utuntur, sed patientia malis; et ideo solum in malis, idest in adversitatibus, est necessaria: Prov. xix, 11: *"Doctrina viri per patientiam noscitur"*.

93. --- Et ideo Spiritus sanctus per donum sapientiae facit nos petere: et per hoc pervenimus ad beatitudinem ad quam ordinat pax, quia per patientiam pacem habemus et in tempore prospero et adverso: et ideo pacifici dicuntur filii Dei, qui sunt similes Deo, quia sicut Deo nihil nocere potest, ita nec eis, quia nec prospera nec adversa; et ideo *"beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur"*, Matth. v, 9.

94. --- "Amen" est confirmatio universalis omnium petitionum.

Compendiosa expositio totius orationis

PATER NOSTER

95. - Ut in summa exponatur, sciendum est, quod in oratione dominica continentur omnia quae desiderantur, et et omnia quae fugiuntur.

Inter omnia autem desiderabilia illud plus desideratur quod plus amatur, et hoc est Deus; et ideo primo petis

gloriam Dei, cum dicis: "Sanctificetur nomen tuum".

A Deo autem desideranda sunt *tria*, quae pertinent ad te. *Primum* est quod pervenias ad vitam aeternam; et hoc petis cum dicis: "Adveniat regnum tuum". *Secundum* est quod facias voluntatem Dei et iustitiam; et hoc petis cum dicis: "Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra". *Tertium* est ut habeas necessaria ad vitam; et hoc petis cum dicis: "Panem nostrum quotidianum da nobis hodie". Et de his tribus dicit Dominus, Matth. vi, 33: "*Primum quaerite regnum Dei*", quantum ad *primum*; "*et iustitiam eius*" quantum ad *secundum*; "*et haec omnia adiicientur vobis*", quantum ad *tertium*.

96. --- Illa autem quae vitanda sunt et fugienda, sunt illa quae contrariantur bono. Bonum autem quod primo desiderabile est, est *quadruplex*, ut dictum est.

Et *primum* est gloria Dei, et huic nullum malum est contrarium. Iob xxxv, 6: "*Si peccaveris, quid ei nocebis... si iuste egeris, quid donabis ei?*". Nam et de malo in quantum punit, et de bono in quantum remunerat, resultat gloria Dei.

Secundum bonum est vita aeterna; et huic contrariatur peccatum, quia per peccatum perditur: et ideo ad hoc removendum dicimus: "Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris".

Tertium bonum est iustitia et bona opera; et huic contrariatur tentatio, quia tentationes impediunt nos a bono operando: et ad hoc removendum petimus: "Et ne nos inducas in tentationem".

Quartum bonum sunt bona necessaria; et huic contrariantur adversitates et tribulationes; et ad hoc removendum petimus: "Sed libera nos a malo". "Amen".

AVE MARIA

PROLOGUS

1. - In salutatione ista continentur *tria*. *Unam* partem fecit Angelus, scilicet "Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus". *Aliam* partem fecit Elisabeth, mater Ioannis Baptistae, scilicet "Benedictus fructus ventris tui". *Tertiam* partem addidit Ecclesia, scilicet "Maria": nam Angelus non dixit, "Ave Maria", sed "Ave, gratia plena". Et hoc nomen, scilicet "Maria", secundum suam interpretationem convenit dictis Angeli, sicut patebit.

"AVE"

2. --- Est ergo circa *primum* considerandum, quod antiquitus erat valde magnum quod Angeli apparerent hominibus; vel quod homines facerent eis reverentiam, habebant pro maxima laude. Unde et ad laudem Abrahae scribitur, quod recepit Angelos hospitio, et quod exhibuit eis reverentiam. Quod autem Angelus faceret homini reverentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquam salutavit Beatam Virginem, reverenter dicens, "Ave".

3. --- Quod autem antiquitus non reverebatur hominem Angelus, sed homo Angelum, ratio est, quia Angelus erat maior homine; et hoc quantum ad *tria*.

Primo quantum ad dignitatem: ratio est, Angelus est naturae spiritalis. Psal. ciii, 4: "*Qui facit Angelos suos spiritus*"; homo vero est naturae corruptibilis: unde dicebat Abraham (Gen. xviii, 27): "*Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*". Non ergo erat decens ut

spiritualis et incorruptibilis creatura reverentiam exhiberet corruptibili, scilicet homini.

Secundo quantum ad familiaritatem ad Deum. Nam Angelus est Deo familiaris, utpote assistens. Dan, vii, 10: "*Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*". Homo vero est quasi extraneus, et elongatus a Deo per peccatum. Psal. LIV, 8: "*Elongavi fugiens*". Ideo conveniens est ut homo revereatur Angelum, utpote propinquum et familiarem regis.

Tertio praeeminebat propter plenitudinem splendoris gratiae divinae: Angeli enim participant ipsum lumen divinum in summa plenitudine. Iob xxv, 3: "*Nunquid est numerus militum eius, et super quem non surget lumen eius?*". Et ideo semper apparet cum lumine. Sed homines, etsi aliquid participant de ipso lumine gratiae, parum tamen, et in obscuritate quadam.

4. --- Non ergo decens erat ut homini reverentiam exhiberet, quousque aliquis inveniretur in humana natura qui in his tribus excederet Angelos. Et haec fuit Beata Virgo. Et ideo ad designandum quod in his tribus excedebat eum, voluit ei Angelus reverentiam exhibere: unde dixit, "Ave".

"PLENA GRATIA"

5. --- a) Unde Beata Virgo excessit Angelos in iis *tribus*.

Et *primo* in plenitudine gratiae, quae magis est in Beata Virgine quam in aliquo Angelo; et ideo ad insinuandum hoc, Angelus ei reverentiam exhibuit, dicens, "Gratia plena", quasi diceret: Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiae.

6. --- Dicitur autem Beata Virgo plena gratia quantum ad

tria.

Primo quantum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiae. Nam gratia Dei datur ad duo: scilicet ad bonum operandum, et ad vitandum malum; et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit Beata Virgo. Nam ipsa omne peccatum vitavit. Peccatum enim aut est originale, et de isto fuit libera in utero propter Immaculatam Conceptionem; aut actuale mortale aut veniale, et de istis etiam libera fuit. Unde Cant. iv, 7: *"Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te"*.

Augustinus in libro *de Natura et Gratia*: *"Excepta Sancta Virgine Maria, ... si omnes sancti et sanctae cum hic viverent, ... interrogati fuissent utrum sine peccato essent, omnes una voce clamassent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est. Excepta, inquam, hac sancta Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccato agitur, nullam prorsus volo quaestionem habere. Scimus enim quod ei plus gratiae collatum fuerit ad peccatum ex omni parte vincendum quae concipere et parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum"*.

Sed Christus excellit Beatam Virginem in hoc quod sine originali conceptus et natus est. Beata autem Virgo in originali est concepta, sed non nata.

7. --- Ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam: quia alius humilis, alius castus, alius misericors; et ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum, sicut beatus Nicolaus in exemplum misericordiae etc. Sed Beata Virgo in exemplum omnium virtutum: quia in ea reperis exemplum humilitatis: Luc. i, 38: *«Ecce ancilla Domini»*; et post, vers. 48: *"Respexit humilitatem ancillae suae"*; castitatis, *"quoniam virum non*

cognosco", vers. 34; et omnium virtutum; ut satis patet. Sic ergo plena est gratia Beata Virgo et quantum ad boni operationem, et quantum ad mali vitiationem.

8. --- Secundo plena fuit gratia quantum ad redundantiam animae ad carnem vel corpus. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia quod sanctificet animam; sed anima Beatae Virginis ita fuit plena quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conciperet Filium Dei. Et ideo dicit Hugo de S. Victore: *«Quia in corde eius amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne eius mirabilia faciebat, intantum quod de ea nasceretur Deus et homo»*. Luc. i, 35: *«Quod enim nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei»*.

9. --- Tertio quantum ad refusionem in omnes homines. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum: et hoc est in Christo, et in Beata Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Unde Cant. iv, 4: *«Mille clypei, (idest remedia contra pericula), pendent ex ea»*. Item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium; et ideo dicit ipsa, Eccli. xxiv, 25: *«In me omnis spes vitae et virtutis»*.

MARIA

10. --- Sic ergo plena est gratia, et excedit Angelos in plenitudine gratiae; et propter hoc convenienter vocatur Maria quae interpretatur "illuminata in se"; unde Isai. LVIII, 11: *«Implebit splendoribus animam tuam»*; et "illuminatrix in alios", quantum ad totum mundum; et ideo assimilatur soli et lunae.

DOMINUS TECUM

11. --- 6) *Secundo* excellit Angelos in familiaritate divina. Et ideo hoc designans Angelus dixit: "Dominus tecum"; quasi dicat: ideo exhibeo tibi reverentiam, quia tu familiarior es Deo quam ego, nam "Dominus est tecum".

Dominus, inquit, Pater cum eodem Filio; quod nullus Angelus, nec aliqua creatura habuit. Luc. i, xxxv: "*Quod enim nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Deo*".

Dominus Filius in utero. Isai. xii, 6: "*Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel*". Aliter est ergo Dominus cum Beata Virgine quam cum Angelo; quia cum ea ut Filius, cum Angelo ut Dominus.

Dominus Spiritus Sanctus, sicut in templo; unde dicitur: "*Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti*", quia concepit ex Spiritu Sancto: Luc. i, 35: "*Spiritus sanctus superveniet in te*".

Sic ergo familiarior cum Deo est Beata Virgo quam Angelus: quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, scilicet tota Trinitas. Et ideo cantatur de ea: "*Totius Trinitatis nobile triclinium*".

Hoc autem verbum, "Dominus tecum", est nobilius verbum quod sibi dici possit.

MARIA

12. --- Merito ergo Angelus reveretur Beatam Virginem, quia mater Domini, et ideo Domina est. Unde convenit ei hoc nomen Maria, quod Syra lingua interpretatur "Domina".

13. --- c) *Tertio* excedit Angelos quantum ad puritatem:

quia Beata Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam, quia ipsa Virgo nec mortale nec veniale peccatum incurrit. Item quantum ad poenam.

BENEDICTA TU IN MULIERIBUS

14. --- *Tres* enim maledictiones datae sunt hominibus propter peccatum.

Prima data est mulieri, scilicet quod cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret, et in dolore pareret. Sed ab hac immunis fuit Beata Virgo: quia sine corruptione concepit, in solatio portavit, et in gaudio peperit Salvatorem. Isai. xxxv, 2: "*Germinans germinabit exaltabunda et laudans*".

15. --- *Secunda* data est homini, scilicet quod in sudore vultus vesceretur pane suo. Ab hac immunis fuit Beata Virgo: quia, ut dicit Apostolus, I Cor. vii, virgines solutae sunt a cura huius mundi, et soli Deo vacant.

16. --- *Tertia* fuit communis viris et mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia cum corpore assumpta est in caelum. Credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit, et portata in caelum. Psal. cxxxii, 8: "*Surge, Domine, in requiem tuam; tu, et arca sanctificationis tuae*".

MARIA

17. --- Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione, et ideo "benedicta in mulieribus": quia ipsa sola maledictionem sustulit, et benedictionem portavit, et ianuam paradisi aperuit; et ideo convenit ei nomen "Maria", quae interpretatur "stella maris"; quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita Christiani diriguntur

per Mariam ad gloriam.

“BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI”

18. --- Peccator aliquando quaerit in aliquo quod non potest consequi, sed consequitur illud iustus. Prov. xiii, 22: *“Custoditur iusto substantia peccatoris”*. Sic Eva quaesivit fructum, et in illo non invenit omnia quae desideravit; Beata autem Virgo in fructu suo invenit omnia quae desideravit Eva.

19. --- Nam Eva in fructu suo *tria* desideravit. *Primo* id quod falso promisit ei diabolus, scilicet quod essent sicut Dii, scientes bonum et malum. *“Eritis (inquit ille mendax) sicut dii”, sicut* dicitur Gen. iii, 5. Et mentitus est, quia mendax est, et pater eius. Nam Eva propter esum fructus non est facta similis Deo, sed dissimilis: quia peccando recessit a Deo salutari suo, unde et expulsa est de paradiso. Sed hoc invenit Beata Virgo et omnes Christiani in fructu ventris sui: quia per Christum coniungimus et assimilamur Deo. I Ioan. iii, 2: *“Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est”*.

20. --- *Secundo* in fructu suo Eva desideravit delectationem, quia bonus ad edendum; sed non invenit, quia statim cognovit se nudam, et habuit dolorem. Sed in fructu Virginis suavitatem invenimus et salutem. Ioan. vi, 55: *“Qui manducat meam cornem, habet vitam aeternam”*.

21. --- *Tertio* fructus Evae erat pulcher aspectu; sed pulchrior Virginis, in quem desiderant Angeli prospicere. Psal. XLIV, 3: *“Speciosus forma prae filiis hominum”*: et hoc est, quia est splendor paternae gloriae.

Non ergo potuit invenire Eva in fructu suo quod nec quilibet peccator in peccatis. Et ideo quae desideramus, quaeramus in fructu Virginis.

22. --- Est autem hic fructus benedictus a Deo, quia sic replevit eum omni gratia quod pervenit ad nos exhibendo ei reverentiam: Ephes. i, 3: "*Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo*"; ab Angelis: Apoc. vii, 12: "*Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro*"; ab hominibus: Apostolus, Phil. ii, 11: "*Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*". Psal. cxvii, 26: "Benedictus qui venit in nomine Domini".

Sic ergo est Virgo benedicta: sed et magis benedictus fructus eius.

FINIS